

2011 NJCL Convention
Latin 2 Reading Comprehension Test

Passage 1—*ānulus mīrābilis*

Gy̅gēs, cum terra discessisset magnīs imbribus, dēscendit in spēluncam, aēneumque equum (ut fāma est) invēnit, cuius in lateribus forēs erant. quibus apertīs, corpus hominis mortuī vīdit magnitudīne inūsītātā, ānulumque aureum in digitō. quem ut dētrāxit ipse induit. tum in concilium pastōrum (erat autem rēgius pastor) sē recēpit. ibi, cum gemmam eius ānulī ad palmam converterat, ā nullō vidēbātur. ipse autem omnia vidēbat. īdem rūsus vidēbātur, cum ānulum in locum inverterat. itaque hāc occasiōne anulī ūsus, rēgem dominum necāvit, sustulit quōs sibi obstāre arbitrābātur. nec in hīs eum facinoribus quisquam potuit vidēre. sīc repentē anulī beneficiō rēx factus est Lydiae.

1. quis erat Gy̅gēs?
A. pastor rēgius B. aurīga C. equitātor D. vir magnitudīne inūsītātā
2. cūr terra discesserat?
A. ob virōs malōs B. ob facinora Gy̅gis C. ob magnōs imbrēs D. ob equum aēneum
3. quid Gy̅gēs, postquam in spēluncam dēscendit, animadvertit?
A. virum in vinculis B. equum aēneum C. multōs ānulōs D. corpus amīcī
4. quid Gy̅gēs deinde fēcit?
A. ianuās in lateribus equī aperuit C. ē spēluncā egressus est
B. equum ē spēluncā extrāxit D. equum in duās partēs secuit
5. quid intrā equum erat?
A. corpus parvum B. vir magnus C. fēmina mortua D. alter equus
6. quid erat in digitō eius?
A. ānulum aēneum B. ānulum argenteum C. ānulum ferreum D. ānulum aureum
7. quid Gy̅gēs, postquam ānulum dētrāxit, fēcit?
A. ānulum in digitō suō posuit C. ānulum amīcō mōnstrāvit
B. ānulum in sinū tunicae posuit D. ānulum vendidit
8. quō Gy̅gēs mox revēnit?
A. in spēluncam B. in equum aēneum C. in concilium pastōrum D. in vīllam amīcī
9. quid accidit simul atque Gy̅gēs gemmam ānulī ad palmam convertit?
A. omnēs decidērunt B. Gy̅gēs ēvānuī C. omnēs rīsērunt D. Gy̅gēs maior factus est
10. poteratne Gy̅gēs gemmā conversā aliōs vidēre?
A. minimē, nullōs B. modo nōnnūllōs C. ita, omnēs D. tantum sē
11. quid accidit postquam Gy̅gēs ānulum in locum prōprium invertit?
A. Gy̅gēs ad terram cecidit C. Gy̅gēs trīstis vidēbātur
B. omnēs eum iterum vīdit D. Gy̅gēs occasiōne rēgis necandī amīsit
12. quem ad finem Gy̅gēs occasiōne anulī ūsus est?
A. ad rēgem cēlandum C. ad rēgem iuvandum
B. ad rēgem servandum D. ad rēgem interficiendum
13. quid eīs quōs Gy̅gēs sibi obstāre arbitrābātur contigit?
A. eōs in equō cēlāvit B. eōs sibi iunxit C. eōs laudāvit D. eōs remōvit
14. quis Gy̅gen facinora comittentem vidēre potuit?
A. rēx B. nēmō C. aliī pastōrēs D. vir magnitudīne inūsītātā
15. quis postrēmo rēx Lydiae factus est?
A. nēmō B. pastor benignus C. equus aēneus D. Gy̅gēs

Passage 2—clādēs mirābilis

saepe cīvēs Rōmānī quī cōnsulēs vel aedīlēs creārī volēbant prō plēbe lūdōs pūblicōs faciēbant. vulgus enim Rōmānum tālia spectācula magnopere amābat. ante autem tempus Cn. Pompēiī Rōmae erat nūllum amphitheātrum ē saxīs factum. Ipse C. Iūlius Caesar aedīlis gladiātōribus ēmp̄tīs spectāculum in forō fēcit.

ab urbe Rōmā quīnque mīlia passuum aberat parvum oppidum nōmine Fīdēna. M. Liciniō et L. Calpurniō cōnsulibus clādēs, ingentī bellō aequa, hīc facta est. Atilius quīdam lībertus inceptō apud Fīdēnam amphitheātrō ubi spectāculum gladiātōrum factūrus erat, sine dīligentiā aedificāvit, nam id opus nōn grātiam sed pecūniam cōnsecūtūrus petīverat.

tālibus lūdīs imperante Tiberiō prohibītīs, tamen undique convēnerunt plūrimiī, virī ac mulierēs, omnis aetātis. tōtō aedificiō hominibus celeriter complētō, initium spectāculī factum est. subitō amphitheātrum tantā multitūdine oppressum horribilī sonitū cadere incipit. Mōlēs ingentī turbā cōnfertā ad terram ruit.

fēlicēs erant eī quī statim occīsī sunt, magis miserandī erant eī quī, abruptā parte corporis, nōndum mortuī erant.

iam multī, fāmā clādīs mōtī, hic frātrem, amīcum ille, alius parentēs dolēbant et inter corpora petēbant. quīnquāgintā hominum mīlia eā clāde āmissa sunt. deinde patrēs prīncipēsque Rōmānī sē ex māiōrum exemplīs mōribusque agēbant. senātōrēs quod tantam calamitātem iterum fierī nōlēbant, in posterum vetuērunt et spectāculum gladiātōrum ēdī nisi ā dīvite et amphitheātrum pōnī nisi in firmīs fundāmentīs.

post recentem clādem apertae sunt domūs prīncipum, fōmenta et medicī praebītī sunt. multa pecūnia et ā Tiberio ipsō data est. Atilius in exsilium āctus est. quibus modīs omnēs cīvēs miserōs iuvāre cōnātī sunt.

16. cūr cīvēs Rōmānī plēbī spectācula dedērunt?
A. quod erant cōnsulēs
B. quod erant dīvitissimī
C. quod aedīlēs fierī cupiēbant
D. quod vulgus ea semper postulābant
17. amābatne vulgus Rōmānum lūdōs?
A. ita, valdē
B. modo paulum
C. minimē
D. aliquot
18. ante tempus Cn. Pompēiī, quot amphitheātra ē saxīs facta Rōmae aedificāta erant?
A. nūlla
B. ūnum
C. duo
D. tria
19. quōmodo Iūlius Caesar gladiātōrēs obtinuit?
A. Pompēius ipsī eōs ēmit
B. amīcus ipsī eōs dedit
C. erant servī ipsīus
D. Caesar eōs ēmit
20. ubi Caesar spectāculum fēcit?
A. in amphitheātrō Pompēiī
B. in forō
C. in Colosseō
D. in īnsulā Tiberīnā
21. quid est Fīdēna?
A. oppidum
B. flūmen
C. īnsula
D. amphitheātrum
22. quot mīlia passuum ā Rōmā aberat Fīdēna?
A. V
B. L
C. D
D. MMMMM
23. quālis clādēs apud Fīdēnam accidit?
A. nūlla
B. parva
C. bellō similis
D. crēbra
24. quis erat Atilius?
A. cōnsul
B. lībertus
C. prīnceps
D. gladiātor
25. quōmodo Atilius amphitheātrum aedificāvit?
A. lentē
B. cautē
C. dīligenter
D. nēglegenter
26. cūr Atilius amphitheātrum hōc modō aedificāvit?
A. glōriam petīvit
B. grātiam secūtus est
C. pecūniam quaesīvit
D. impiger erat
27. quid tālia spectācula vetuerat?
A. Atilius
B. Tiberius
C. Iūlius Caesar
D. Cn. Pompēius
28. cūr amphitheātrum ad terram cecidit?
A. Atilius cantāre coepit
B. sonitūs horribilēs id dēlēvērunt
C. multī hominēs inerant
D. Tiberius id dēsīderāvit
29. quī in amphitheātrō erant fēlicēs?
A. eī quī partēs corporis āmīsērunt
B. eī quī celeriter mortuī sunt
C. eī quī dolēbant
D. eī quī miserandī erant

30. quid multī hominēs clāde commōtī faciēbant?
A. familiam in mōle quaerēbant
B. ex Itāliā fugiēbant
C. gaudēbant
D. dolōre moriēbantur
31. quot mīlia eā clāde āmissī sunt?
A. V
B. L
C. C
D. D
32. cūr senātōrēs tāle spectāculum in posterum vetuērunt?
A. quod multī cīvēs nimium pecūniae habēbant
B. quod architectī Rōmānī erant perītī
C. quod clādem huic similem iterum fierī nōlēbant
D. quod erant avārissimī
33. quis victimīs domōs obtulit?
A. p̄ncipēs
B. Tiberius
C. mortuī
D. Atilius
34. quō Atilius iit?
A. ad domum Tiberī
B. ad Graeciam
C. Rōmam
D. in exsilium
35. cūr cīvēs domōs aperuērunt et multam pecūniam dedērunt?
A. quod cīvēs miserōs iuvāre volēbant
B. quod Atilius in exsilium āctus est
C. quod Tiberium amābant
D. quod dītissimī erant

Don't stop here;
there are 15 more
questions on the
next page.

Passage 3—vēnātiō mirābilis

Aenēas scopulum intereā cōnscendit, et omnem
prōspectum lātē pelagō petit, Anthea sī quem
iactātum ventō videat Phrygiāsque birēmēs
aut Capyn aut celsīs in puppibus arma Caīcī.
nāvem in cōnspectū nūllam, trēs lītore cervōs
prōspicit errantēs hōs tōta armenta sequuntur
ā tergō et longum per vallēs pāscitur agmen.
Cōnstitit hīc arcumque manū celerēsque sagittās
corripuit fīdus quae tēla geraebat Achātēs,
ductōrēsque ipsōs prīmum capita alta ferentēs
cornibus arboreīs sternit, tum vulgus et omnem
miscet agēns tēlīs nemora inter frondea turbam
nec prius abstinit quam septem ingentia victor
corpora fundat humī et numerum cum nāvibus aequet.
hinc portum petit et sociōs partītur in omnēs.

36. quid Aenēas prīmum facit?
A. deōs ōrat B. cōnsidit C. scopulum ascendit D. lacrimat
37. quō in locō Aenēas amīcōs quaerit?
A. in nemoribus B. in urbe C. in marī D. in dēsertīs
38. quis nōn st socius Aenēae ?
A. Antheas B. Capys C. Phrygiās D. Caīcus
39. quot virōs Aenēas cōnspicit?
A. multōs B. nūllōs C. nōnnūllōs D. vīgintī
40. quālia animālia Aenēas videt?
A. canēs B. equōs C. tigrēs D. cervōs
41. quid faciunt haec animālia?
A. bellum parant B. domum quaerunt C. Aenēan spectant D. in lītore errant
42. quot ductōrēs animālibus sunt?
A. ūnus B. trēs C. septem D. decem
43. cūr Aenēas cōnstat?
A. ut cervōs interficat B. ut cibum cōsumat C. ut deōs ōret D. ut Achāten adloquatur
44. quid facit Achātēs?
A. in scopulō sedet B. arcum sagittāsque Aenēae portat C. queritur D. manum Aenēae tenet
45. quālia sunt cornua animālium?
A. similia ferrō B. parva C. nigra D. similia arboribus
46. quō Aenēas animālia agit?
A. in mare B. in nemus C. in scopulum D. in nāvēs
47. quot animālia Aenēas interficit?
A. trēs B. septem C. decem D. vīgintī
48. quot navēs Aenēae sunt?
A. trēs B. septem C. decem D. vīgintī
49. quō potrēmo it Aenēas?
A. ad scopulum B. ad montēs C. ad nāvēs D. ad Phrygiam
50. quibus Aenēas animālia dat?
A. sociīs B. cervīs C. nēminī D. deīs